

MELEAGRIDES

ET

ÆTOLIA,

EX

NUMISMATE
KYPIEΩN

Apud

GOLTZIUM:

Interspersis Marmoribus quibusdam,

DE

MELEAGRI INTERITU,

&

APRI CALYDONII VENATIONE:

IN LUCEM VINDICATÆ

à

LAURENTIO BEGERO,

Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario

ab Antiquitatibus & Bibliotheca.



Colonia Brandenburgica,

Imprimebat ULRICUS LIEBPERTUS, Electoral. Typographus. 1696.

277
Q.K
435
42

X 1880942





BENEVOLO LECTORI.



Ter Antiquitatis reliquias, plura passim occurrunt, vel haecenus inedita, vel edita quidem, luce autem sua nondum illustrata. In utrisque operam utiliter collocari, nemini arbitror erit dubium; Quid enim ab Auro immunditiis immerso, tenebris suis relicta Antiquitas distat? Quid à Thesauro Terræ visceribus abstruso, deliciae nostræ intra parietes Cimeliarchiorum absconditæ?

Nullus argento color est, — —

— — *Nisi temperatò*

Splendeat usu.

De moneta usuali suo tempore cecinit Venusinus. Simile quiddam & Ego de Antiquitatum reliquiis dixerim: Nullum eis colorem esse, nullam utilitatem, nisi in publicum producantur, & ex tenebris ignorantiae quasi extrahantur, limpidisque Historicorum & Poëtarum fontibus respergantur, & simul illustrentur. Hoc egerunt non superiore tantum Sæculo, sub & hoc nostrò agunt, Viri omnigenâ & Eruditionis & meritorum gloriâ fulgentissimi: Quos Ego, licet impari forsan passu id fieret, pari tamen zelò arbitratus imitandos, *Thesauros Electorales, Palatinum & Brandenburgicum*, publicis usibus exposui, & in *Conjecturis, Spicilegioque*, quædam in medium attuli, nec ipsa for-

san omninò contemnenda. Nondum deferbuit ardor. Dum *The-
sauri Electoralis Brandenburgici Partem Alteram* producere pos-
sim (tardatur enim ob coëmptum Celeberrimi *Bellorii Cimeliar-
chium*, ut ejus accessione augustior prodeat) quædam vulgare consti-
tui, quæ Thesauro illi operam navanti, adeoque aliud agenti apparue-
runt, Luce publicâ non indigna. Primas sibi vindicant MELEA-
GRIDES & ÆTOLIA, quas paucis his schedis propono, paucis
ejusmodi propositurus & reliqua, tum quod Materiæ se invicem nul-
lâ affinitate contingant, adeoque Libertas Lectori relinquenda sit, eò
unamquamque ablegandi, quò ei commodum videbitur; tum ut tæ-
dio consulatur, si modò hodiènum sint, in quos illud Martialis qua-
dret: *Libros non legit Ille, sed Libellos.*

Ut tamen omnia unò volumine compingi possint, eâdem quæcunque
formâ juvabit procudere; juncta enim justam crasficiem impletura,
iis arbitror juxta significandum, qui tenuibus ejusmodi Libellis offen-
duntur. Cæterùm more meò ad discutiendas diversarum opinio-
num salebras, stylum Dialogisticum & heic adfero, quòd controver-
siis is, pro & contra enodandis, maximè conveniat, tuamque, LECTOR
patientiam occultò quòdam voluptatis sensu simul delinire possit. Il-
lud enim affectandum arbitror, quod vulgò de Poëtis dicitur:

Et prodesse volunt & delectare.

Vale LECTOR HONORATISSIME! & dum reliqua sequantur, te-
nuibus his fruire, & fave! Dabam FRIDERICOPOLI MARCHI-
CÆ, KAL. NOV. M DC XCVI.




DUL
inqu
tum
novi
Dact
mism
Quic
suffu
jam
arma



*Ampineus gravidâ Bacchus descenderat ulmo:
Famque Pyrenæis nimbosior aura pruinis,
Spargebat viduos æstivis cultibus agros.*

Reliquit Tusculanum suum ETASTES, & in urbem
reversus, ut hyemis tædia aliquô modô leniret, cum DULO-
DORO tum de aliis, tum etiam de Antiquitatum reliquiis
haud infrequenter confabulabatur. Inciderat mentio Nu-
mismatis ΚΤΡΙΕΩΝ apud Goltzium. In eo cum

MELEAGRIDES & AETOLIA



DULODORO exhiberi viderentur, cachinnô placitum excepit ETASTES: Et, Tune, inquit, à Te ipso dissentis? Annon recordaris, in Conjecturis Tuis Te Caput Galeatum, in averfa Numismatis hujus expressum, Veneri vindicasse? Et an Clarissimo *Gronovio* adversaberis, qui non *Meleagrides*, sed *Anseres* hîc agnoscit, in Explicationibus *Dactyl. Gorlæi* Part. I. n. 48? Ut taceam, *Ætoliæ* cum *Cypro*, cujus in urbe *Curio Numisma* signatum esse, ex *Inscriptione* patet, nihil omninô commercii intercessisse. Quid respondes, DULODORE? Graves hæ sunt, excepit ILLE, nec vili autoritate suffultæ rationes. Etiam *Nonnius*, *Goltzii* *Interpres*, *Venerem* armatam hîc exhiberi, jam dudum suspicatus est, opinionique accessit & *Rev. Harduinus*, & ipse *Venerem* armatam, ΑΦροδίτην ὀπλισμένην, ex *Pausania* in *Laconicis* caput hoc interpretatus: in

averfa autem Cygnos agnoscens, Veneri sacros, cujus traxisse currum à Vatibus perhibentur, ut apud Nafonem:

— — — *Medios Cythereia per auras
Cypron Olorinis nondum pervenerat alis &c.*

Et Horatium III. Carminum:

— — — *Quæ Gnidon,
Fulgentesque tenes Cycladas, & Paphon
Junctis visit Oloribus.*

Aperta ratio est! inquit ETASTES, nec video, quid commodè contra eam adferri possit? Potest Avium figura, respondit DULODORUS; Hæc enim nullò modò Cygnos adumbrat, multò minus adhuc Anseres. Sanè nec Rostrum, nec Caput, nec Collum, nec Corpus, nec Pedes, nec denique gradientium habitus, vel cum Anseribus, vel cum Cygnis, vel minimùm conveniunt. Quid igitur? excepit ETASTES, cum sanè nec Columbæ sint, utut in Cypro cæteris perhibeantur fuisse præstantiores. De Columbis, inquit DULODORUS, rectè judicas; sed mihi omninò Meleagrides videntur. Meleagrides? denuò exclamavit ETASTES; At quis Meleagridum descriptionem tam specialem nobis reliquit, ut indubiè ad eam Aves hæc determinari possint? Descriptionem Meleagridum, respondit DULODORUS, ex Clyto Milesio, Aristotelis discipulo suppeditat Athenæus L. XIV. Verba hæc sunt: περι τὸ ἱερόν τῆς παρθένου ἐν Λέρω εἰσὶν οἱ καλούμενοι ὄρνιθες Μελεαγρίδες. ὅ ἢ τόπος ἔστιν ἐλαϊδης, ἐν ᾧ τρέφονται. ἔστι ἢ ἀσπεργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρειον, καὶ ὀλιγορεῖ τῶν νεοτέρων, ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἄπιμελεῖσθαι αὐτῶν. ἔχει ἢ τὸ μὲν μέγεθος ὄρνιθος γενναίαν, τὴν ἢ κεφαλὴν μικρὰν πρὸς τὸ σῶμα, καὶ ταύτην ψιλὴν, ἐπ' αὐτῆς ἢ λόφον σίρκινον σκληρόν, στρογγύλον ἐξέχοντα τῆς κεφαλῆς ὥσπερ πάτηαλον, καὶ τὸ χρώμα ξυλοειδῆς. πρὸς ἢ ταῖς γνάθους διπλὸ τῆς σώματος ἀρξάμενην αὐτὴ πύγων μακρὰν σίρκα, καὶ ἐρυθροτέραν (τῶν ὄρνιθων) τὴν ἢ τοῖς ὄρνιθιν ἄπι τῶν ῥύγχαι γνωμένην, ἣν ἔνιοι πύγωνα καλεῖσιν, σὶκ ἔχει, διὸ καὶ ταύτην κολοβόν ἔστι. ῥύγχη ἢ ὀξύτερον καὶ μείζον ἢ ὄρνις ἔχει, τράχηλος μέλας παχύτερος καὶ βραχύτερος τῶν ὄρνιθων, τὸ ἢ σῶμα ἅπαν ποικίλον, μέλαν ὄντος τῆς χρώματος ὅλα πτεροῖς λευκοῖς, καὶ πυκνοῖς διεκρημμένον μείζονσι φακῶν. οὗτοι δ' εἰσὶν ἐν ῥόμβοις οἱ κυκλίσοι μέλασι τῆς ὅλας χρώματος. διὸ καὶ ποικιλίαν πτεροῖς οἱ ῥόμβοι παρέχουσι, τῆς μὲν μέλαν ἔχουσι λευκότερον τὸ χρώμα, τῆς δὲ λευκῆ πολὺ μελάντερον (τὸ ἢ κατὰ) τὰς πτέρυγας, αὐταῖς πεποικιλίαι λευκῶ περιονώδεις χήμασι πυρώδεις, καὶ παλάμηλα κειμένοις. σκέλη δὲ ἀκέραια, ὁμοία πτεροῖς ὄρνιθιν. Παρεκπλήσια δ' εἰσὶν αἱ θήλειαι τοῖς ἀρρεσιν. διὸ καὶ δυσδιακρίτον ἔστι τὸ τῶν Μελεαγρίδων γένος.

Circa delubrum Virginis, inquit, in Lero sunt aves, quas Meleagrides vocant. Locus Palustris est, in quo nutriuntur. Animal illud non ita prolem amat, & juniores pullos adeò negligit, ut Sacerdotibus illos curare necesse sit. Avis magnitudo, ut Gallina generose est, capite minore, quàm pro modo reliqui corporis, glabro, & super ipso Crista carnosâ, dura, rotunda, quæ clavi modo super caput extuberat, colore ligneo. Ad malas adjacet instar barbe longa caro, incipiens ex ore, rubentior, quàm in Gallinis: at eam quæ rostro Gallinarum insidet, & quam barbam nonnulli vocant, minimè habet, tanquam à parte sit mutila, rostrum acutius, & grandius quàm Gallinæ. Cervix nigra, crassior & brevior quàm gallinæ. Corpus totum varium. Nigrescit enim totum, crebris maculis albis notatum, ac compun-

Etum

Etum, lenticulâ majoribus, quæ Rhomborum figurâ parvis nigrisque circulis ambiuntur, & pennarum illam varietatem efficiunt, quia niger color adspargitur candido, & vicissim candidus nigro. Alarum penne linearum ductibus candidis, ferratisque distinguuntur, in spiras protractis, intervallo pari diremptis. Nullum calcar in cruribus, quæ gallinaceis similia sunt. Maribus adeò fœmina similes, ut vix Meleagridum sexus discernatur. Hæc de Meleagridum figura Philosophus Peripatheticus.

Multa ex his, inquit ETASTES, avibus in Numismate expressis conveniunt, sed etiam multa ab iis discrepant. Non equidem de iis dicam, quæ de coloribus interspurguntur; Quis enim hos in Numismate dignoscat? De figura loquar, quæ ex Numismate patet. In hac cum Numismate convenit, quod de Magnitudine: de Capitis ad reliquum corpus Parvitate: de Rostro acutiore & grandiore, quàm Gallinarum: tandemque de Pedibus, Gallinaceis, nisi quod calcar desit, similibus dicitur; sed discrepat, quod dicitur de Crista carnosâ, dura, rotunda, quæ clavi modò suprâ caput extuberat: discrepat longa caro ad malas, barbæ instar jacens, incipiensque ex ore. Hæc duo certè in avibus propositi Numismatis non visuntur, adeoque Meleagrides has esse, evidenter negant.

Dubium moves, respondit DULODORUS, quod & mihi aliquandiu assensum cohibuit. Ex quo autem in Varrone & Plinio, Gallinas Africanas & Meleagrides easdem esse, edoctus sum: Casaubonique, & Aldrovandi, aliorumque sententiâ eas ipsas, quas nos *Indicas & Calekutenses* vocamus, quæ utique hodie nobis domesticæ sunt, omnino dubium evanuit. Authorum verba, inquit ETASTES, audire cupio, ne quid temerè prætermittam. Varro, respondit DULODORUS, L. III. c. 9. de Gallinis: *Gallina Africana*, inquit, *sunt grandes, varia, gibbera, quas μελεαγρίδας appellant Græci*. Plinius L. X. c. 26. *Simili modò, inquit, pugnant Meleagrides in Bœotia. Africa hoc est Gallinarum genus, gibberum, variis sparsum plumis*. Casaubonus cap. 20. L. XIV. ad Athenæum: *Descriptionem Meleagridum, inquit, quæ adfertur ex Clyto, Aristotelis discipulo, nemo non videt, Gallinis iis convenire, quas vulgò indicas vocamus*. Aldrovandi verba longiora sunt, quàm ut adscribi possint. Is tamen, cum Recentioribus *Gallopavonem*, & *Gallinam Indicam*; Petro Gyllo, *Gallum Indicum*, & *Gallum Peregrinum*: Italis *Gallo* & *Gallina d'India*: Hispanis *Pavon de las Indias*: Gallis *Pouille d'Inde*: Germanis *Indianisch*, aut *Calecutisch*, aut *Welsch Hun*, h. e. *Indicam* aut *Calekutensem* aut *Italicam Gallinam*: Anglis *Kock of Inde* dictam, asseverasset, dubiumque addidisset esse, an veteribus fuerit nota, utpote quæ superiore sæculo in Europa demum visa sit, appositè ad rem subjicit: *Turnebus & Bellonius, Viri undiquaque sanè doctissimi, non tantummodo illis notam existisse credunt, verum etiam eorundem Meleagridem esse conjiciunt, ad quorum conjecturam Ornithologus quodammodo accedens, nisi easdem aves, congeneres saltem esse arbitrat*. Ego verò, addit idem Aldrovandus, *diligentissime Veterum de Meleagride verba, præsertim exactissimam Clyti Peripathetici descriptionem, cum vivo Gallo Pavone conferens, planè easdem esse, ostendere conabor, prius admonens, GALLINAM AFRICANAM, & NUMIDIAM, & AFRAM poetis dictam*. Quid his apertius jactari potest?

An assertum, reposuit ETASTES, Aldrovandus præstare potuerit, valde dubito; Si enim Meleagrides cum Gallinis Indicis nostris eadem sint, quomodo Clytus potuit

tuit asserere, *Sexum Meleagridum difficulter admodum distingui posse?* cum tamen Gallus Indicus à Gallina Indica facillimè dignoscatur, & quidem magnitudine Cristæ, quæ Gallo, præsertim irato, tanta est, ut ultra rostrum longè dependere soleat? Id evenit, inquit DULODORUS, ubi provectoris ætatis sunt, in Juventute autem sexum vix dignosceres. Hæc ego distinctione etiam id elido, quod Clytus de *longâ carne ad malas jacente* addidit, cum nec hanc in juventute Gallinæ Indicæ præferre soleant. Omnino scilicet crediderim, Clytum ex relatione aliorum scripsisse, ideoque diversos ætatum diversarum habitus conjunxisse. Id ut arbitrer, eò magis me adducit quòd nec de Coloribus probè docuit, cum utique hi, ut in pennis, ita etiam in Crista & Carne, pro affectuum modò variare soleant. Idem iudicium tuleris etiam de Columella, qui *Gallinam Africanam Meleagridi similem*, dixit, *nisi quòd rutilam Galeam & Cristam capite gerit, quæ utraque sunt in Meleagride cœrulea.* Distinctio hæc nauci est, cum uterque color in his avibus dominetur. Sed idem non dixeris de Varrone & Plinio; Licet enim Hi carnosam cristam omiserint, eaque de causa Aldrovando vapulent, tanquam præcipuâ notâ, omisâ ex superioribus tamen constat, eam notam præcipuam non esse, utpote quæ in juvenibus non conspicitur. Hæc cum ita sint, non video quid obstare possit, ut in Nummo nostro Meleagrides, sive quòd idem hodie esse demonstravi, Gallinæ Indicæ aut Calekutenses agnosci debeant?

Imò Collum obstat, excepit ETASTES. Id utique in nummo longiusculum visitur, cum tamen brevius Clyto memoretur fuisse: Obstant ipsi, quos laudas, Varro & Plinius; Meleagrides enim *Gibberas* vocant, quales in Numismate non video. Ad hæc facillè respondero, inquit DULODORUS; Utrumque enim ex diverso gradiendi habitu dependet. Si gradum accelerent Gallinæ Indicæ, tunc collum protendant, eòdem planè modò, quò in hoc Numismate: Si autem vel subsistant, vel lentè progrediantur, tunc & collum brevius, & ipsæ reverà aliquantum gibberæ videntur. Hæc cum ita sint, utique vanum est, quòd alii *Gilberium*, alii *Gilbarum* legendum contendunt. Potius Aldrovando fides habenda, qui *Gibberas* dictas ait, non quòd omnino Gibbosæ sint, sed quòd quodammodo tales appareant. Egregiè causæ tuæ patrocinariis, subjecit ETASTES. Licet autem non habeam, quòd commodè opponere possim, cum utique recorder, eodem plane habitu, quo in Nummis visuntur, Gallinas Calekutenses gradum accelerare: & insuper certum sit, juvenes adhuc Cristâ & Carne illa pendula, quas in Meleagridum capitibus laudat Clytus, carere, duplex tamen adhuc dubium subit. *Primò* enim non intelligo, cur potius juvenes, quàm ætatis provectoris expressæ fuerint, quæ utique facilius agnosci potuissent? *Deinde* non intelligo, quid Aves Ætolia, in Numismate Urbis Cypri sibi velint, Insulæ, ut notum, in sinu Pamphylio sitæ? Equidem in Lero, Insula Mileto opposita, educatas, ex allegato supra Clyti testimonio patet; Quis autem testabitur de Cypro? Cum Clytus de Mileto scripserit, respondit DULODORUS, Lerus autem Mileto opposita fuerit, equidem de Lero non dubitarem, præsertim cum & Ælianus consentiat. Gesnerus autem non *in Lero*, sed *in Olero* legit, idque ideo, quòd in *παρθενης ιερόν*, in *Virginis sacello*, Meleagrides educatæ legantur, *παρθενης* autem, ejus ad mentem, Minerva intelligenda sit, quæ ab Olero urbe Cretæ, uti Stephanus docet, *Oleria* cogno-

cognomentum tulit. Quorsum hæc? inquit ETASTES. An ut opinionem de Minerva, in Numismate expressa, sacraque ei Meleagride stabilias? Hoc equidem Tibi facile cesserim, cum & Athenis in Arce eas nutritas, ex Meursio planum sit. Neutrum dixerim, respondit DULODORUS; Sub *Virgine* enim apud Clytum omninò *Dianam* arbitror intelligendam, quæ aves has in Lerum transtulisse, Antonino Liberali memoratur: Et licet Meursius de Arce Atheniensium hoc asserat, indeque de Meleagride Minervæ sacrata conjiciat Gesnerus, mihi tamen de Arce Atheniensi dubium est, idque ideò, quòd Hesychius & Suidas non de Atheniensium *Ἀκρόπολι*, sed de Acropoli indistinctè hoc asserant, Acropolis autem non tantum Athenarum Arx, sed etiam Civitas Libyæ, imò &, quod notandum! *Ætolia* fuerit, cui posteriori utique Meleagridum educatio magis videbitur convenire, quàm Acropoli Atheniensium, licet hæc a libi κατ' ἐξοχήν talis vocabatur. Hæc nihil ad rem, excepit ETASTES. De Cypro probandum; Curium enim Urbem Cypri esse, in confesso est, id quod Goltzius probè noverat, Numisma nostrum Numismatibus Urbium Cypri admiscens. Goltzium, respondit DULODORUS, hoc perperam fecisse, nihil vereor asserere; Curium enim non tantum Cypri, sed, quod iterum notandum! etiam *Ætolia* Urbs fuit, non minus ac Acropolis. Audi Stephanum: κέρειον, πόλις κύπρου &c. Ἰστὶ καὶ πόλις Αἰτωλίας. *Curium Urbs Cypri &c. Est etiam Urbs Ætolia.* Et Strabonem lib. 10. κέρειον δὲ τῆς παλαιᾶς Πλευρώνων & πλεσιόν, ἀφ' ἧ τῆς Πλευρωνίως κρητήτας ὀνομαθῆναι τινες ὑπέλαβον. *Curium est prope antiquam Pleuronem, unde Pleuronios nominatos fuisse Curetas aliqui existimant.* Hæc cum ita sint, utique patet, non Cypro, sed *Ætoliæ* hunc nummum adscribendum esse: Patet & ratio, cur Meleagrides *juvenes* hoc in Nummo occurrant: scilicet, ut origo simul connotetur, à Meleagri Sororibus, quas ob fratris necem in Meleagrides versas, Ovidius & Hyginus prodidere.

Dubium ex dubio seris, inquit ETASTES. An Tu Meleagrides in Numismate Curii agnoscas? Oppidi, ut ex Strabone docuisti, Pleuroni vicini, cum tamen hunc tractum Curetes obtinuerint? Curetes inquam, qui à Thestiadum partibus steterunt, & contra Meleagrum, de Apri Calydonii capite & pelle setosa bellum gessere? Imò cum bellum id inter Curetas & Ætolos gestum, non Pausaniæ tantum, sed etiam Homero memoretur? Ex quo utique planum est, Meleagrides *Ætoliæ* quidem propriè sic dictæ, sive Calydonum terræ, gloriosas esse potuisse: Quid autem hoc ad Curetas, ab Ætolia propriè sic dicta distinctos?

Acri me telo petis, inquit DULODORUS; Et nisi antiqua Curetum dominatio succurreret, nescio an ictum evitare possem. Curetas dictos à Curio oppido, Strabone teste, quorundam opinio fuit. Curetes autem ante Ætoli adventum, Curetum regionem obtinuerunt: Totam scilicet illam, quam ab Ætolo, Curetibus pulsus, *Ætoliā* dictam accepimus. Audi Marcianum:

Μετὰ τῆς Ἀκάμανας μὲν ἐν Αἰτωλίας,
 Ἐξ Ἡλίδος λαβῆσα τὴν ἀποικίαν.
 Κρητες αὐτὴν γὰρ κατόικεν πρότερον.
 Ἀφικόμενοι δ' Αἰταλὸς ἐκ τῆς Ἡλίδος
 Ληωλίαν ὠνόμασε, ἐκείνης ἐκβαλὼν.

B

Nimirum

Gal-
 istæ,
 Id e-
 xum
 carne
 eant.
 erfos
 quòd
 Car-
 ella,
 stam
 m u-
 inio;
 lent,
 ouam
 quid
 non-
 m vi-
 ro &
 Ad
 iendi
 unt,
 pro-
 Hæc
 nten-
 ninò
 roci-
 nere
 llinas
 Carne
 n ad-
 pro-
 non
 fulæ,
 sita,
 e Cy-
 utem
 lianus
 a παρ-
 men-
 Oleria
 ogno-

*Nimirum Acarnanes sequitur Ætolia,
 Coloniam quæ accepit olim ab Elide;
 Curetes ipsam namque tenuere antea.
 ÆTOLUS at Princeps profectus Elide,
 ÆTOLIAM pulsus vocavit hostibus.*

Quid hoc ad rem? excepit ETASTES. Multum, respondit DULODORUS; Hinc enim apertum est, Curium, oppidum fuisse antiquissimum, utpote quod Curetibus, ante Ætoli adventum, regionem tenentibus, nomen dedit: Apertum est, fuisse Curetum Metropolim, adeoque cum Gente totam Curetim, sive totam eam regionem, quæ postea ab Ætolo Ætolia dicta est, obtinuisse: Non eam tantum, quæ postea Pleurononia dicta est, cujusque incolas Poëta *Curetes* appellat, quod Curium Pleuroni vicinum fuisset; Sed & eam, quæ *Calydonia* dicta est, cujusque incolas Poëta *Ætolos* vocat; Ætulus enim, cum Curetim à se Ætoliā nominasset, duos filios habuit, quorum alter *Pleuron*, alter *Calydon* appellatus, cognomines uterque urbes fundarunt, ex eorumque Posteris Thestius, & Oeneus fuere, quorum Ille Pleuronem, Hic Calydonem incolebat, quorumque inter filios bellum id de Apri Capite & Pelle setosa incidit.

Quid opinioni Tuæ hinc fulcri accedat, inquit ETASTES, nondum video; Quid enim hæc ad aves à Curienſibus expressas? Numisma certè, siquidem Meleagrides in eo statuas, ante Meleagri obitum percussum esse non potest: Et si post Meleagri obitum percussum statuas, utique divisio & inimicitia Meleagrides rejicit, cum credibile non sit, partis inimicæ decora Curienſes jactare voluisse. Tunc inimicitiam æternam arbitraris? excepit DULODORUS. Imò ego durabiliorem in ipsos Pleuronios fuisse crediderim. Curium Pleuronix nativitate à rerum apice ceciderat, adeoque ejus incrementa non nisi cum invidia intueri potuit. Et licet ejus incolas, necessitate coactos, ad tempus à Thestiadum partibus stetisse, inde forsan eviceris, quod Poëta ab iis Thestiadum exercitum *Curetas* appellet, temporis tamen cum lapsu ad antiquam gloriam eos respexisse, seque Antiquorum illorum Curetum Principes fuisse, adeoque non Pleuronix tantum, sed & Calydonix, sive Ætoliæ à Pleurononia distinctæ, de jure dominos esse, ut hoc Numismate fuerint demonstraturi, non video quid obstare possit? Ea certè hodiènum consuetudo viget, ut licet Regionibus destituantur Principes, earum tamen, quas antiquitus tenuerunt, insignia jactent, & quo insigni, Calydoniis, sive Ætolis propriè sic dictis speciali, Curienſes se potius jactarent? quàm Meleagridum figuris, cum hæc ratione non Dominatum tantum sibi videri poterant asserere, sed etiam antiquam culpam diluere, ipsamque simul gentem demulcere, utpote dignam, cujus decora ad Posteritatem commendarent. Res eò credibilior videtur, quò ex Historia clarius est, extinctis Thestiadibus & Meleagro, Ætolos, tam eos qui Pleuroniam incolere, quàm etiam qui Calydoniam, rursus coivisse & concordēs deinceps fuisse. Id jam de belli Trojani tempore utique clarissimè memorat Homerus, Il. B. vers. 627.

Ἄιτωλῶ

Αιτωλῶν δ' ἤρχετο Θῶας Ἀνδραίμονος υἱός.
 Οἱ Πλευρῶν' ἐπέμοντο, καὶ Ὀλένον ἠδὲ Πυλήνην,
 Χαλκίδα γ' ἀγχίαλον, Καλυδῶνά τε πηγήεσσαν.
 Οὐ γὰρ ἔτ' Ὀινῆος μεγαλήτορος υἱέες ἦσαν,
 Οὐδ' ἄρ' ἔτ' αὐτὸς ἔην, θάνε δὲ ξανθὸς Μελέαγρος,
 τῷ δ' ὄπι πάντ' ἐτέταλτο ἀνασέμεν Αἰτωλοῖσι,
 τῷ δ' ἅμα τεσσαράκοντα μέλαινα νῆες ἔποντο.

*Ætolis autem imperabat Thoas Andramonis filius,
 Qui Pleurona habitabant, Ἔ Ολένον, Ἔ Πυλένην,
 Chalcidaque maritimam, Calydonaque petrosam;
 Non enim amplius Oenei magnanimi filii erant,
 Neque item amplius ipse erat. Mortuus erat autem flavus Meleager.
 Huic autem omnia erant commissa, ut imperaret Ætolis.
 Hunc autem simul quadraginta nigrae naves sequebantur.*

Egregium rei pennicillum inducis, inquit ETASTES, & acquiescerem, nisi dubium adhuc moveret elegantissimum Marmor,



Quod inter Admiranda Romanarum Antiquitatum, à Santo Bartolo an. inestum, & à Celeberrimo Bellorio adjectis explicationibus illustratum est, exhibetque *Meleagri interitum*. TRES in eo Meleagri sorores video; Quis igitur fit, ut DUAE tantum in Numismate MELEAGRIDES sint? De Marmore Bellorii dum mones, inquit DULLODORUS; mihi in mentem venit, idem etiam in MSCto, quod Cimeliarchium Electorale Brandenburgicum asservat, *Pighiano* cerni, quamvis in quibusdam à Belloriano diversum. Id & ipsum libentissimè Tibi hic ostendo :



Non quòd inde conjecturam formem, Santum Bartolum ea, quæ in Marmore fracta, aut deperdita fuerant, de suo restituisse, & eam ob causam forsitan contra genuinam Antiquitatem non semel peccasse, cùm diverso fortassis Marmore potuerit usus fuisse. Quid diversum sit, inquit ETASTES, non video. Annon easdem utrinque Furias aut Fata? eòdemque modò furentem Althæam, fatali stipite in ignem coniecto? morientem item Meleagrum, cum tribus Sororibus, & Atalanta in mœrorem composita, expressit? Si probè rem intuearis, respondit DULODORUS, multa invenies diversa.

Fata

Fat
tan
qu
nu
fig
stip
ris
fac
apu
ans

Ha
stu

Q
sp
str
in
pr
re
ill
V
pe
tia
v

Fata ille *duo* tantum delineavit (Fata enim sunt, non Furia, uti dubitat Bellorius) cum tamen revera in Pighiano *tria* sint, & Tertium illud omnino eodem modo rotæ insistant, quo & in Spicilegio meo pag. 106. visitur. Deinde Fatis Ille Stipites tribuit, non minus ac Althææ, cum tamen in Pighiano, *alterum* temonem gerat, non obscurum insignis regiminis Universi: *alterum* autem non utraque manu, sed dextrâ tantum, non stipitem, sed vel volumen, vel fragmentum sceptri, vel quod verius forsan arbitraberis, colum ad nenda videlicet stamina elevet, sinistrâ autem Althæam quasi ab impio facinore removeat, quod utique eleganter ad mentem Ovidii videri poterit effectum, apud quem unica tantum Stipes, & Tria Fata, & inter pietatem & impietatem fluctuans Althæa graphicè describuntur:

*Stipes erat, quem cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores,
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignoque Tibique,
O modo nate, damus. Quò postquam carmine dictò
Excessere Deæ, flagrantem Mater ab igne
Eripuit ramum, sparsitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatusque tuos, juvenis, servaverat annos:
Protulit hunc Genitrix, tædasque, & fragmina poni
Imperat, & positos inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Cœpta quater tenuit. Pugnant Materque Sororque,
Et diversa trabunt unum duo nomina pectus.*

Hæc utut se habeant, inquit ETASTES, Ovidius tamen, Althæam, Stipitem comburam, non Parcas aut Fata, sed Furias invocasse canit:

*— — Rogus ista cremet mea viscera, dixit:
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante sepulcrales infelix adstitit aras:
Pœnarumque Deæ, triplices furialibus, inquit,
Eumenides sacris, vultus advertite vestros.
Ulciſcor, facioque nefas!*


Qui locus utique Bellorio de Furiis cogitandi ansam dedisse potuit. Etiam hoc respondit DULODORUS, cum Althæa adhuc fluctuaret. Artifex autem Marmoris nostri Parcas, vel ideò Althæam à facinore arcentes, effinxisse poterit credi, ne sua decreta infando crimine polluerentur, ipsorumque adeò nomen convitiis incesseretur. Nosti procul dubio, Fatorum nomen, ob præcipitata etiam sine scelere funera, apud Authores satis iniquis interdum elogiis onerari: *Impia, sinistra, dira, invida* vocari, etiam Perillus SPANHEMIUS observat, Diss. VIII. pag. 840. ad Numisma Diocletiani FATIS VICTRICIBUS inscriptum, quale & Cel. Morellus in Specimine prodidit, sub Maximiano percussum: adeò ut inde sufficiens ratio esse possit, cur Artifex Fata facinori repugnantia credi possit finxisse. Eandem sanè & Ovidium movisse crediderim, ut Stipitem *in-*
ditum arsisse, cecinerit: B 3 aut

*Aur dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes, & inditis correptus ab ignibus arsit.*

At, inquit ETASTES, etiam Homerus de Furiis testatur. Ita enim canit de Althæa, filiomortem precante:

— — — Τῆς δ' ἠεροφοΐτις Ἐριννὺς
"Ἐκλυεν ἐξ ἐρέβουσφιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχου.
— — — *Hanc autem per aërem vagans Erinnyis
Exaudivit ex Erebo, implacabilem animum habens.*

Rectè mones, inquit DULODORUS; Nec ego etiam contenderim, Furias adesse non posse; sed illud tantum dico, in superioribus Marmoribus eas non esse. Cæterum, ut horum sculptor procul dubio Fata expressit, ita alius in alio poterit expressisse Furias. Tale sanè in eodem MSCto Pighiano videri potest, quod & ipsum Tibi ostendere operæ pretium arbitror:



In hujus principio Meleager visitur avunculos occidens: Visitur Althæa titionem comburens, adstantibus tribus foeminis, capita alatis, capillisque horridis, & si rite video, ser-

deo, serpentiferis, id quod de Furiis cecinere Poëta. Orpheo ὄφιοπλόκαμοι *serpenticoma* dicuntur, & Claudianus:

Alecto stetit in medio, vulgusque tacere

Jussit, & obstantes à tergo reppulit ANGUES.

Certè capita hæc Medusæo similia sunt, quod alis & anguibus, aut potius alatis anguibus, etiam in familia Cossutia apud Patinum, incingitur. Certè Facum, quæ Cicerone teste, Furiarum gestamina solent esse, & etiam in earum manibus apud Per-Illustr. SPANHEMIUM, ad Cæsares Juliani visuntur, apertissimæ adhuc apparent reliquiæ. Adderem & stolatas & incictas has fœminas esse, idque ad Strabonis descriptionem, in fine L. III. Geogr. Ubi *furiis similes Cassideridum incolas* dicit, *eosque tunicis indutos, ad talos usque demissis, cinctisque circa pectus* memorat, nisi meminissem eodem modo & Fata ornari. Si hæc ita se habeant, inquit ETASTES, apud Santum Bartolum similiter Furias agnoscerem, utpote quarum stipites eodem modò facum reliquiæ esse possint. Si facias, respondit DULODORUS, tandem non restitero, quanquam Bellorius *stipites* appellet. Forsitan tamen & Stimuli poterunt esse, qui & ipsi Furiarum gestamen fuere, uti ex Numismate Per-Illust. SPANHEMII in Cæss. citato, planum est. Mihi sufficit differentiam Marmorum ostendere, quæ & in reliquis apparet. Urna, quæ apud Santum Bartolum columnæ imposita, foliisque referta visitur, apud Pighium, in Marmore priore, nuda est: Et ara, quæ apud *illum* nuda, apud *bunc* cantharo affictò ornatur. Otiosa hæc arbitror, inquit ETASTES, nec nisi pro lubitu artificis variata. Imò contra, respondit DULODORUS, omninò enim hîc solita Oenei sacrificia tibi licebit recolare, quem

Primitias frugum Cereri, sua vina Lyæo,

Palladios flava latices libasse Minerva,

Ovidius cecinit: Licebit ad Inferias, fratribus ab Althæa celebratis, respicere, idque ideò forsàn non abs ratione, quòd Urnis combustorum cineres servari, & ut alibi docebo, Lac, Vinum, Aqua, Opobalsamum, alique ejusmodi liquores, imò & lacrymæ mortuis inferri sueverint, indeque varia vasorum genera hodiènum in sepulcris inveniri soleant; Neque enim ad latices respexeris, quibus Althæa stipitem ardentem sparsisse memoratur, cum ea res sub Meleagri nativitatem inciderit, uti suprà dictum est. Sed ad alia progredior. Juxta Lectum Meleagri, apud Santum Bartolum, Clypeus est, furiali capite ornatus, licet serpentes desint; Apud Pighium autem priore in Marmore elegantissima Solis effigies, in posteriore autem Clypeus Squamatus visitur. Addo & infra proponendum Marmor, ubi caput vipereum satis apertis anguium voluminibus erit intortum. De Capite Solis, inquit ETASTES, doceri cupio; De Furiis enim jam abundè audivi. Caput Solis, respondit DULODORUS, ex Pausania mihi videtur interpretationem sumere, sive spoliū à Curetibus hunc Clypeum arbitreris, sive Meleagri necem respicias; Ait enim, *Curetas contra Ætolos APOLLINE adjutos esse*. Si hoc verum, quid mirum si in Clypeis, Solis, qui cum Apolline idem perhibetur, caput Curetes effinxerint? Quid mirum, si talem Clypeum Meleager ceperit, cum tamen Hòc pugnante Ætoli, vel Homero teste, victores exstiterint:

Ὀφρα μὲν ἐν Μελέαγρῳ ἀρηίφιλῳ πολέμιζε,
 τόφρα δὲ κρητέας κακῶς ἦν.

*Quamdiu Meleager bellicosus pugnat,
 Tamdiu Curetibus male erat.*

Inquit Poëtarum Pater, Il. I. vers. 546. seq. Si ad Meleagri interitum respicias, idem Pausanias aderit, qui ad quorundam opinionem, ab ipso Apolline Meleagrum accisum, memorat. Quicquid sit, etiam juxta lectum differentia est; Galea enim, quæ utroque apud Pighium in Marmore visitur, apud Santum Bartolum non est. Solus ibi gladius visitur, & quidem satis longus, & cum Capulo, Avis Caput in summitate referente, cum tamen in Pighianis gladius utrinque brevior sit, & capulo in globulum desinente ornetur. Differentia hæc, inquit ETASTES, tanti non est, ut observari mereatur. Imò mihi, respondit DULODORUS, non exigui momenti videtur. In Casside enim Ætolos non tantum levi, sed etiam gravi armaturâ usos agnosces, id quod Pausanias non uno in loco asserit. Apertum est, quod in Phocicis prodit, auxilia contra Gallos recensens: Αἰτωλῶν ἡ πλείστη τὴ ἐγένετο στρατῆα, καὶ ἐς πᾶσαν μάχης ἰδέαι. Ἡ μὲν ἵππῳ δὲ λέγασιν ὀπόση. Ψιλοὶ δὲ ἐννεήκοντα καὶ ἐπτακισχιλίων ἀειθρῶν ἦσαν οἱ ὀπλιτεύοντες. Ætolorum agmen cum numero prestitit, tum verò fuit ad omne pugna genus instructissimum. Quæ fuerint equestres eorum copia, non est proditum, sed expediti fuere nonaginta, gravis verò armaturæ septem militum millia. Si de gladio quæras, jam dudum Per-Illust. SPANHEMIUS in gratiosissima ad me Epistola docuit, etiam Heroicis temporibus, non gladios parvos tantum, sed & magnos in usu fuisse, adeò ut utrinque Tibi ad totam gentem respiciendi libertas esset, nisi ipse Meleager oculos in se converteret, utpote qui, ut supra vidimus, Homero ἀρηίφιλῳ bellicosus vocatur, & procul dubio, ut ad venationes, ita etiam ad omne pugnae genus instructissimus fuit.

Ad scopum redeamus, inquit ETASTES. De Sororibus Meleagri mentio fuit, quarum Ego tres in Marmore Admirandorum agnosco, cum tamen in Numismate proposito dua tantum aves sint. Ego respondit DULODORUS, Sorores Meleagri quatuor agnoverim; Nam etiam ea figura, quam retrò Oeneum, Meleagri Parentem, cernis, non minus & fœmina & juvenis adhuc in Pighianis visitur, ac reliquæ, licet à Santo Bartolo satis viriliter, & vetuli instar ea fuerit efficta. An senex hic, inquit ETASTES, qui baculo nititur, Oeneus est? Est respondit DULODORUS, γέρων enim, sive senex, vocatur Homero Il. I. v. 577. quamvis nesciam, annon sculptor nimio eum senio affecerit, utpote qui in sequenti Marmore

Et ipso



Et ipso ex Pighii MSCtis depromto, adhuc capillatior occurrit. Oeneum hinc non video, inquit ETASTES. Venatio Apri exprimitur, ferè qualiter in Marmoribus à Te in Epistola ad Per-Illust. SPANHEMIUM expressis; Sed figura prostrata est, & Cupidines passim visuntur: Annon Hi Marmor hoc ad Adonidem reducunt? Si arbitreris, respondit DULODORUS, non refragabor, quamvis Cupidines hi etiam, vel ad Atalantæ Amorem referre liceat, de quo Ovidius:

*Hanc pariter vidit, pariter Calydonius Heros
Optavit renuente Deo, flammisque latentes
Hausit.*

C

Vel

Et ipso

Vel, quod potiùs arbitror, ad amorem conjugalem, quo occisis post Apri Venationem Theftiadis, Matris increpationibus irritatus, contra Curetas, Calydonem oppugnantes, progredi noluit, sed apud Uxorem Cleopatram desedit. Audi Homerum :

Ἦτοι ὁ μηρὶ Φίλην Ἀλθαίην χῶόμενος κῆρ
 κείτο παρὰ μνηστῆ ἀλόχῳ καλῇ Κλεοπάτρῃ,
 κέρη Μαρπίσσης καλλισφύρα Εὐηνίης.

*Certè hic matri dilectæ Althææ iratus corde,
 Jacebat apud legitimam uxorem, pulchram Cleopatram
 Filiam Marpissæ, pulchra Eveni filia.*

Ut huc respicias, adstantes Viri, uxori assidentem precantium more prensantes, suadere possunt, cùm utique idem Poëta ad rem appositè :

— Τὸν δ' ἐλίσσοντο γέροντες
 Αἰτωλῶν. — —

— Hunc autem orabant senes
 Ætolorum. — —

Et iterum :

Πολλὰ δέ μιν λιτάνευσε γέρον ἱππηλάτα Ὀινεὺς
 ὄουδ' ἐπεμβεβαὼς ὑψηρῆ φέρον θάλαμοιο.

*Multum autem ipsum obsecrabat senex Equitator Oeneus
 Limen conscendens excelsi thalami.*

Hæc cùm ita sint, nescio an multum errem, si eum, qui Uxorem assidentis brachium in Marmore apprehendit, ipsum Oenea arbitrer, adeoque nondum tantæ ætatis, quantæ in prioribus Marmoribus visitur. Calvities, inquit ETASTES, fortè Luctûs indicium fuerit; Quanquam mihi, non Cupidines tantum, sed & prorumpens ex porta Mulier, nuda illa, qualis Venus solet, cum Cupidine supervolante, & figurâ prostratâ, quam alter Cupido contrectat, omninò ad Adonidem respicere jubeant. Et Ego, respondit DULODORUS, me Tibi non repugnaturum, imò potius, præsertim si Marmor dividendum, primumque segmentum Meleagro, posterius autem Veneri tribuendum censeas, & ipsum Tuæ sententiæ accedere, apertè profiteor; Quanquam fortassis fœmina hæc nuda, non absurde etiam de Cleopatra pro Marito sollicita explicari possit, uti figura prostrata de Alcæo, quem Aper Calydonius, vel Hygino teste, percussit. Certè, uti Meleager in aliis Marmoribus Pighianis, ita & hîc visitur, Venabulum apro inten-

Ad ocu-



Ad oculum monstrat, quod ideò hîc repetendum censeo, quia in Epistola ad Per-III. SPANHEMIUM, & spatio & proposito serviens, integrum non dedi. At in his, inquit ETASTES, Alcæus affictus non est. Quid tum, respondit DULODORUS, cum nec Eupalemon, nec Pelagon, nec alii, quos lethiferos ictus sensisse, apud Nasonem legimus. Hos scilicet, ut idem canit, à Sociis raptos, quid prohibet ut credamus? Quanquam horum omnium memoriam is utique suggerat, qui sub apro prostratus cum morte luctatur, sive is Alcæus sit, sive alius quis. Sed reliqua notiora sunt. Atalanta ex habitu noscitur, non minùs ac in superioribus:

*Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;
 Crinis erat simplex, nodum collectus in unum.
 Ex humero pendens resonabat eburnea levo
 Telorum custos, arcum quoque leva tenebat.*

Noscuntur

Et Gemini nondum cœlestia sidera fratres. Nondum sidera, inquit: Id quod ratio est, cur Pilei sideribus nondum insigniti sint, quod in Nummis fieri solet. Imò & cum Equis, quos adducunt, cùm in sequenti



nem
nan-

ade-

ium
uan-
ium
lier,
am,
ndit
den-
seas,
hac
gura
uti
ten-

ocu-

Eorum alter Equo insideat, idque ad mentem Poëtæ:

*Ambo conspicui, nive candidioribus ambo
Veſtabantur equis: ambo vibrata per auras
Haſtarum tremulo quatiebant ſpicula motu.*

Dolendum, inquit ETASTES, rariffima hæc κειμήλια injuriâ temporis fuiſſe mutilata; Neque enim Dioſcurorum haſtas in iis videre datur: Et in aliis etiam manus & pedes truncatos deprehendo. Quis autem eſt Ille, qui in priore Marmore cum bipenne viſitur? Ancæus eſt, reſpondit DULODORUS, ex Parrhaſia Arcadiæ oriundus, qui muliebri laude irritatus, temeritatis ſuæ pœnas luit:

*Ecce furens contra ſua fata BIPPENNIFER ARCAS
Talia magnifico tumidus memoraverat ore,
ANCIPITEMQUE Manu tollens utraque SECURIM
Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.*

Ait Ovidius, & videri etiam poteſt Apollonius in Argonauticis. Ancæo, inquit ETASTES, ſua virtus nocuit. Imò temeritas, reſpondit DULODORUS, quam Theſeus cum Pirithoo diſſuaſiſſet, ipſe

— *Æratâ torſit grave cuſpide cornu,
Cui benè librato, votique potente futuro
Obſtitit eſculeâ frondofus ab arbore ramus.*

An ex his, inquit ETASTES, Theſeum cum Pirithoo eos arbitrer, quos in priore Marmore juxta aprum cerno? alter ſanè jaculum vibrat, arbore, ut videtur impeditum, alter autem pileo tectus, lapide rem agere videtur. Non jaculum video, reſpondit DULODORUS, ſed jaculi reliquias, cum autem in ſequenti Marmore Sponiano



Theſeus non jaculum vibret, ſed clavam attollat, incertum judicium arbitrer, ut & in aliis plerisque. Clavam vibrantem, exceperit ETASTES, Sponius non Theſeum, ſed Herculem arbitratur. Et hoc malè, reſpondit DULODORUS, id quod jam alibi docui. Hercules venationi Apri Calydonii non interfuit, ſed Meleagrô Mortuô demum
in

in Ætoliã concessit, Oeneique filiam Dejaniram sibi matrimonio junxit. Theseum autem non minus ac Herculem clavam gestasse, ex Plutarcho ad Gemmam Thef. El. Brandenburgici docui. Cæterum in hoc Marmore sylva Calydonia notari meretur, in qua venatio hæc celebrata fuit. Diana mihi placet, inquit ETASTES, quæ in hoc Marmore novi quid est, cum in aliis non appareat. Cum Sponio loqueris, respondit DULODORUS; Mihi autem non Diana hæc videtur, sed omninò Atalanta, de qua jam vidimus. Diana, Meleagro ob contemptum infesta, aprum immiserat, tantum abest, ut ei conficiendo operam contulerit: Atalanta autem eodem, quo hic fingitur, ab Ovidio habitu describitur:

— — *Celerem Tegeæa sagittam
Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu.*

Transeant hæc, inquit ETASTES, Mihi in prioribus adhuc de viro illo dubium est, qui ab Ancæi tergo, tunicam cingulo circumdedit, dependente que ab humero Chlamyde & Diademate insignis est. An Oenea arbitrer, Meleagri Patrem, Calydoniæ regem? Quid si ante portam pugnae eventum videatur præstolari? Assurgerem placito, respondit DULODORUS, nisi in sequenti Marmore



Idem inter ipsos Venatores staret. Tutius fortassis vel Nestorem statueris, vel Ampycidem, Phœbi sacerdotem; Quamvis in his utpote nullis insignibus personas determinantibus, incerta ut plurimum sit disquisitio. Fluvium in hoc Marmore video, inquit ETASTES, an hic Achelous est, celeberrimus ille Ætoliæ, à quo propter antiquitatem cognomentum aquis exstitit? ut Servius docet ad illud Virgilii:

Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis?

Fortassis is est, respondit DULODORUS. Fortassis etiam Evenus: Et quid si hic ratione potiore? Achelous quidem ob celebritatem sibi locum vindicare poterit, sed Evenus sibi vindicat propter vicinitatem. Calydoni enim, cujus in sylvis Venatio contigisse memoratur, vicinior fuit, quàm Achelous. Ille Ætoliæ partem orientalem, Hic autem occidentalem perfluebat, utpote Ætoliã ab Acarnania determinans. Si

uti-
is &
a bi-
dus,

TA-
seus

ore
um,
ndit

& in
sed
do-
um
in

hoc ita sit, excepit ETASTES, quomodo Theseus post Venationem Apri Calydonii in Atticam reversurus, apud Ovidium, Acheloum transire necesse habuit?

— *Theseus sociati parte laboris
Functus, Erechtheias Tritonidis ibat ad arces.
Clausit iter, fecitque moras Acheloius amnis.*

Id Ovidius excuset, respondit DULODORUS. Mihi non liquet; Neque enim vel Glareanus, vel alii viderunt. De Eveno certè, Calydoni vicino, etiam juncta apud Nasonem epitheta testantur:


— *Calydonides Evenina.*

In Marmore duo ultima præcedente, excepit ETASTES, non Venationem tantum video, sed & actum Venationem secutum. Atalanta enim coram Meleagro stat, Aprique Caput, quod ab eo accepisse memoratur, Venationis præmium ostentat; Quis autem est puer, qui inter utrumque visitur? Atalantæque caput Apri præferenti alludit? An Parthenopæum arbitrer, Meleagri ex Atalanta filium? Non hunc, respondit DULODORUS; Neque enim adhuc natus erat: sed omninò Hymenæum, id quod ex face patet, cujus fragmentum adhuc juxta pedes visitur. Ad caput Apri aliud adhuc Marmor meretur produci; Uti enim illud Atalantam, caput Apri præferentem exhibet, ita in sequenti



Idem


Idem Caput Mensæ illatum cernimus, assidentibus eodem inter Dioscuros Meleagro, & hinc Atalantâ, inde Theseo. Consultatio hæc videtur esse, inquit ETASTES, cui videlicet Caput Apri, tanquam Venationis præmium, sit adjudicandum? Neque enim legimus, in cibum id cessisse, sed à Meleagro Atalantæ donatum esse. Fateor, inquit DULODORUS. Historicæ narrationi hoc Marmor non convenit; attamen post feram feliciter confectam, epulis Heroës indulgisse, utique verisimile est. Eas apparari vides in priore Marmoris segmento, in posteriore celebrari. In illo Amphora diota notari meretur, quales in Chiorum Numismatibus occurrunt: Notari meretur Vini in Ætolia & copia & præstantia. Sed quid his diutius inhæremus? quidni ad id revertimur, de quo præcipua nobis quæstio est? Meleagri Sorores, inquam, quarum Tu in Admirandis *Tres* agnoscis, ego autem in Pighianis *quatuor* ostendi. Sint quatuor, excepit ETASTES, eò tamen dubium meum nondum solutum est, cum *duas* tantum in Numismate Meleagrides videam. Sorores duas inquit DULODORUS, etiam in sequenti Marmore



Cernis, ubi simul & metamorphosin earum, in ave avolante, Tibi imaginari poteris. Sed notandum, *Quatuor* fuisse, *duas* autem tantum in Meleagrides veras esse. Id Antoninus Liberalis Fab. II. satis clarè docet. Cùm filios Oenei, & filias quatuor, *Gorgen, Eurymeden, Dejaniram, & Melanippen*, totamque fabulæ seriem enarrasset, sororesque ad sepulcrum Meleagri eò usque flevisse addidisset, donec à Diana in Meleagrides verterentur, & in Lerum insulam transferrentur, appositè ad propositum sub-
 jicit: Δύο δὲ τῶν Ἀλφείας θυγατέρων, Γόργην καὶ Δηϊάνειραν Φασὶν καὶ εὐμενεῖαν Διονύσου μὴ μεταβαλεῖν, ὅτι τὴν χάριν ἄνωγ' Ἀρτέμις δίδοι. *Due autem de filiabus Althæe, Gorgo & Dejanira feruntur formam non mutasse, beneficio Bacchi, cui eam gratiam Diana fecisset.* Vides ETASTA, etiam numerum avium opinioni meæ famulari. In Marmore notari meretur sepulcrum, exstructâ lapideâ basi, impositòque lapide, eâ ferme figurâ, quâ sunt templorum fastigia, quæ *Aquilas* appellamus, id quod de Sicyonijs memorat Pausa-

onii
vel
Na-
um,
, A-
Quis
i al-
on-
n, id
ri a-
æfe-
dem

Paufanias. Etiam hoc, exceptit ETASTES, inter Admiranda aliter visitur. Non autem hoc me angit, sed avis, quæ in hoc Marmore avolat, & omni dubio procul Meleagris est. Meleagrides in Numismate collô ptotensô vidi, & te persuadente credidi; Hoc autem collum brevissimum est, planè ad descriptionem Clyti, uti suprâ vidimus. Quid hinc poterit colligi, nisi duorum alterum, aut Meleagrides in Numismate non esse, aut Sculptorem Marmoris veram Meleagridum figuram ignorasse. Rectè judicas, inquit DULODORUS, alterum enim necessariò sequitur, & me quidem iudice posterius. Quid enim mirum, si Romanus Sculptor ignoraverit avem eam, quam nec Clytus probè noverat, Peripatheticorum haud postremus? quam nec Columella, nec alii? quamque peregrinarum novissimam in mensas receptam, propter ingratum virus, Plinius tradidit? scilicet ex ipso Clyto Sculptorem seductum arbitrer, ideoque & collum brevius fecisse: Nisi potius crassio rem quorundam ignorantiam accuses, qui & aliis ejusmodi in monumentis occurrit. Exemplô sint Stymphalides in sequentibus:



In utroque Herculis, Stymphalides fugantis, fabulam adumbrari, negari non potest; depromta enim sunt, ex Marmoribus etiam reliquos Herculis labores exhibentibus: Et tamen in altero Stymphalides tres collo longiore ornantur, in altero una tantum, brevissimò intumescit. Quæ rei ratio? Proculdubio ignorantia. Tutius certè Numismatibus credimus, quorum dignitas super alia Antiquitatum genera, etiam hinc patescit; Publicâ enim authoritate percussa sunt, & ex solâ figurâ ut plurimum significant, id quod in proposito Meleagrides adstruunt. Sed hoc in Marmoribus secus est, utpote in quibus totius fabulæ series concurret.

De avibus, inquit ETASTES, acquiesco, & si eâdem ἀκρβεία etiam de Pallade adversæ doceas, non amplius refragabor; Palladem enim, sive Minervam, hanc arbitrer, idque ideò, quòd Meleagrides Minervæ sacratas, Gesnerus prodidit. Gesneri

(errorem,

errorem, respondit DULODORUS, jam supra mihi videor diluisse, inde ortum, quod non minus ac Meursius Acropolin, ubi Meleagrides fuisse ex Hesychio & Suida discimus, pro Atheniensi sumsit, cum tamen omnino Ætolica intelligi debeat, quæ ut dictum, Stephano memoratur, & quam Meleagrides Ætolix aves aperte demonstrant. Equidem de Minerva fateri possem, cum vel Lilio Gyraldo observante, *Minerva Calydonia* innotuerit; sed Minervæ tetra fuit facies, proposita autem, nescio quâ dulcedine amoris languida, caput inclinat. Denuò ad Venerem prolaberis, inquit ETASTES, eoque abolitam hætenus de Curio Cypri mihi renovas suspicionem. Nullò modò, respondit DULODORUS; Duplici enim via Tibi dubium eximere possum. Effigiem hanc Venerem esse, omnino nego. Esse autem vel Curetis alicujus imaginem, vel certè Ætoliam ipsam, quæ antiquitus *Curetis* dicta est, omnino crediderim.

Denuò cachinnum sustulit ETASTES, & Tune, inquit, Curetis alicujus imaginem hanc arbitraris, cum tamen foeminam arguant non tantum Muliebris facies, sed & foemineus faciei decor, imò etiam crispuli in fronte, & dependentes postinciput Capillorum cincinni? An talibus ornatos credas Curetas? At in Numismatibus, quæ apud Cl. Patinum & Seguinum prostant, multò aliter visuntur. Numismata hæc, respondit DULODORUS, ab opinione meâ me non dejiciunt; aliter enim comparatum est cum Curetibus Cretæ, aliter cum Curetibus Ætolix. Illi virorum more Thoraces in Numismatibus gerunt, longiore autem coma insignes non sunt, sed Hi Strabone teste, *ἑθελισόλβη, ὡς καὶ κόραι, Puellarum more, foemineo utebantur vestitu:* adeò ut inde etiam quibusdam creditum sit eos fuisse appellatos. Facit ad rem, quod apud Eustathium ad Il. 23. v. 140. *κρηῆτες χλιδῶντα πλόκαμον τρέφοντες ὡς τε παρθένας ἀβραῖς, κρηῆτες ἐκλήθησαν, κρηῖς ἕνεκεν. Curetes delicias capillorum cincinnos alentes, mollis virginis instar, indeque appellati sunt propter tonsuram.* At Strabo, regessit ETASTES, tonsuram hanc ad anteriorem capitis partem refert, ne videlicet hostes eos cæsarie apprehenderent. Hæc ratio, respondit DULODORUS, nescio an priori contrarietur; Si enim Numisma contempleris, comæ utique in anteriore capitis parte quasi nullæ sunt. Pauci tantum sub Galea cincinni prominent, à tergo autem Virgineum planè in morem dependent. Quamvis de Virginea tonsura, or-taque inde appellatione, etiam Agathon in Thyeste tradat, quem locum & ipsum Eustathius citat: *Προνάκτις scilicet filix Procos venisse, tum aliis exornatos omnibus, tum κομῶντας τὰς κεφαλὰς, ornantes capita.* Repulsam verò πασσός, κόμας ἐκπεράμεθα, inquisisse, *μάστρας τρυφῆς ἐπώνυμον γὰρ εὐθὺς ἔχομεν κλέει, κρηῆτες εἶναι κρηῖμα χάριν τειχός. Comas tondemus testes deliciarum. Nomen igitur è re impositum rectam habemus gloriam, Curetes appellati propter capillos tonsos, aut Virgineos.* Mirum, inquit ETASTES, delicatos ejusmodi homines Galeâ tectos fuisse. Id nihil mirum, respondit DULODORUS; Strabone enim teste, licet essent, *ἠσκήμενοι περὶ κόμην καὶ σολήν, ornati comam & tunicam,* tamen etiam fortes & bellicosi fuere, adeò ut Homerus, *κρηῆτας ἀριστάς παναχαιῶν, Curetas omnium Achaorum fortissimos* prædicarit. Sed hæc de Curetibus dicta sufficiant, quò si effigiem, in Numismate expressam, referre

D

Tibi

Tibi placet, per me id equidem licebit; Quanquam juxta aperte profitear, Me potius Ætoliam, quæ antiquitus *Curetis* dicta est, cujusque simulacrum procul dubio Curetum more ornavere, hoc in Numismate nobis exhiberi credere. Id ut arbitrer, suadet effigies undiquaque fœminea: Persuadet Pausanias in Phocicis, cujus sequentia sunt: Πεποίηται ὑπὸ Αἰτωλῶν τρόπαιόν τε καὶ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ἄγαλμα ΩΠΛΙΣΜΕΝΗΣ, ἢ ΛΙΤΩΛΙΑ δῆθεν. *Dedicarunt Ætoli tropæum & ARMATAE MULIERIS, ÆTOLIA ea est, SIMULACRUM.* Hæc DULODORUS: Ad quæ ETASTES, nihil habens, quod commodè reponere posset, fasces submitit, actisque DULODORO gratiis, confabulationi finem imposuit, & digressus est.

E R R A T A.


In Præfat. l. 18. pro *sub*, lege *sed*, p. 5. lin. 2. pro *Pyrenais* lege *Pyrenais*, p. 7. lin. 34. pro *Turnebus*, lege *Turnerus*, lin. antipenult. pro NUMIDIAM, lege NUMIDICAM, p. 8. l. 15. pro *notâ*, *omissâ* lege *notâ* *omissâ*, &c.



Handwritten signature or initials in the bottom right corner of the page.

Handwritten mark or initials in the bottom right corner of the page.





[Faint, illegible text from the reverse side of the page, possibly bleed-through or ghosting.]



lic

D
 &
 n
 ra
 t
 t
 n
 l
 c
 i

